



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, 1630

De sui abnegatione, cruceq[ue] varia patienter sufferenda Can. I.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45857](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45857)

debes vehementiori gaudio capi, quanto spiritus carni, mundo caelum, Christus cuius benedictioni est antefendus. Itaq; nubant alia virgines mortalibus, nubant perituris, nubant infirmitate senioq; conficiendis, eligant sibi maritos, cum quibus suas quot die luceant crimina: Tu gaude quod immortalis, quod potentissimo, quod maxime nobili, quod desique amabili semperq; felici (cum quo & ipsa felix immortalisq; victura es) coniuncta sis sponso, cuius thorus immaculatus, cuius coniunctio integritas, cuius amplexus charitas, cuius delectatio casta, cuius fructus vita est beata. Ad has nuptias aut desponsationem tui potius inuatum, cum nihil auri, nihil gemmarum (quod in alijs assolet nuptijs) offerri queat: cum praetera nihil fastuosum, nihil è mundo nobile in hic acceptum sit, quippe quae haec, atque adeo ipsum regnum mundi ac omnem seculi ornatum pro Christi hodie sponsi ac domini tui amore contempseris, spirituale hoc munusculum iam pridem manibus nostris enatum, tua integritate dedico. Et ne ab re quidem: Siquidem ex hoc edisces quomodo Christo sponso tuo, eodem ipso te erudiente, debeas placere ac conformari. Patrem tuum dominum doctorem, virum integritate ac eruditione singularem, simulq; congregationem illam sanctam, in qua sub Domina admodum venerabili Christo ancillaribus, ex me iubeas saluere. Vale.

ALLOQUIORVM IESV CHRISTI
Sponsi cœlestis ad vnamquamlibet ani-
 mam sibi fidelem iuxta ac deuotam, Liber secundus, eiusdemque pars prima, quæ complectitur in se: Vt anima Deo deuota Christi Iesu debeat vitæ passionibusque conformari.

De sui abnegatione, cruceque varia patienter sufferenda.

CANON I.



I qui vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam quotidie, & sequatur. Luca 9.

Hæc olim & verbo & exemplo dō anima (cui vt pater filia, imò vt sponsus sponsæ nunc intus loquor) quàm velim, significauit. Si igitur me amas, si me desideras, si post me & ad me venire cupis, abneget te primum necesse est, in nulla re temetipsam, hoc est, consolationem, requiem commodum, honorem, utilitatem, voluntatemq; tuam, sed gloriam ac beneplacitum

Abnegatio sui quoniam ineludat.

Cruce varia quo animo ferenda sit.

Ioan. 14.

meum solum querens Siquidem abnegatio hæc tui ipsius, proprietatem excludit omnem. Hæc facit vt non sequaris, non habeas, nec habere aut sentire velis proprium amorem, proprium velle, proprium videre ac sentire: sed meum duntaxat beneficium inuestigans, eligens ac sequens, vbi in ipso me habeas omnia. Itaque temetipsam exuta, esto quasi sine te, aut extra te, vt potè tui ipsius oblita, ac plane tibi mortua. At verò in me sola viuas, mecum idem volens ac sentiens. Huc igitur anniti debet mens tua, nec quiescere vnquam, donec obtineas. Contendendi pro hoc obtinendo scopo, occurret tibi crux varia & multiformis, sub qua patienter te oportet humiliter, & tristissima quæq; perinde ac læta, spontè æquanimiterq; feras, mea interim gradiendo obseruans vestigia, hoc est, mores, verba actusq; & virtutes

virtutes, quibus tibi factus sum via, veritas & vita. Hæc igitur animo tuo firmiter sine infixa, hoc iuge sit tibi statutum propositum, te ipsam funditus abnegare, aut citra electionem propriam huius aut alterius, aut beneplacitum meum duntaxat seruire: crucem quoque, id est, tribulationem atque aduersitatem quamcumque (si quàm super te venire permiserò) ex manu mea hilariter amplecti, & ita sub cruce vitæ ac passionis meæ vestigia imitari.

De meditatione Dominicæ passionis. Proficere volenti quam sit necessaria vitæ passionisque Christi meditationis ac imitatio: meditationis item modus quis omnium sit fructuosissimus.

CANON II.

AD hæc confortata, vt semper ad portiora progrediaris, iugi meditatione versari debes circa beneficia, præsertim humanitatis meæ, videlicet vt redemptionis meæ opus contemplando, quanti te fecerim, quantum te amauerim, quanta tibi contulerim, quanta denique & quomodo pro te passus sim, diligenter expendas. Nam si illuminari, si mihi coniungi, si à me inflammarì, si denique conformari mihi volueris, mea vita ac passio assidue abs te est meditanda: eoque cogitatio tua perducenda, vt amorosis ac cõpassiuis oculis semper & vbique me crucifixum intuearis, traijciendo vitæ meæ in te imaginem & sanctitatem, hoc est, contemplando in me faciem meam benignam ac nimis amabilem, mores honestissimos, gestus mites, verba ignita, suauia ac nondum lædentia: virtutum quoque integritatem, actuum maturitatem, ac pœnarum acerbiteriam, patientiæ denique mansuetudinem, & feruentissimam charitatem. Hæc inquam & id genus reliqua contemplari debes cum æstuanti desiderio me imitandi. Ad hæc indeficienti studio flagites, vt mihi te conformare, atque interiori homini tuo meam digner imaginem imprimere, teq; in me transformare: & hoc ex abundantia gratiæ meæ, que recalitranti naturæ tuæ vim etiam inferat, ipsam dirigens & impellens, arcens & retrahens iuxta beneplacitum meum, ad gloriam meam sempiternam, donec ipse in te reformer.

Debet autem meditatio hæc non perfunctoriè agi, præsertim vbi temporis lociq; non defuerit oportunitas, sed conari debes etiam vt in te excitentur erga me amor se diffundens, compassio liquefaciens, & desiderium imitandi geffiens. Quod si meditati compassionis defuerint lachrymæ, condolendi studium muta in affectum gratias agendi, & exulta, quod ad eò te dignatus sim, pro quo tam multa, tamq; horrenda voluerim pati, puta Deus pro limo, pro ingrato immensus. Verùm si ne hoc quidè potes efficere, sterilitate cor tuum penitus obsidente, nihil minus passionem meam durò licet & arido corde pertracta. Et hoc ipsum meditati studium atque laborem tuum quamlibet sterilem, mihi tamen acceptum, in laudem & gratiarum actionem sacrifica. Sæpenumero fit vt magis mihi placeat laboris studijq; vestri assiduitas, qua pro virtute certatis, quàm virtutis suauitas, quam sentitis.

Porro in ipsa meditatione diligenter cõsidera etiam qui pro te patitur, & animo expende quomodo non solum homo sum innocentissimus, purissimus, nobilissimus atq; sanctissimus, verum etiam omni creatura excellentior, Deus optimus,

Vuu 2 maximus,

Vniri Deo
cupienti quam
facienda
sunt.

Meditatio
passionis
Christi
quænam
exigat.